Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 875
Quelle:
Copyright:

γνωσιον edidit *Giſſae* a. 1706. 8. et *Corn. Nepotem* interpretem (neque enim graeca extant) praefigere, et eam *ſtyli terſiſſimi et aurei ſeculi* praedicare Juventutique propinare, ſuſtinuit. Exemplar noſtrum hac editione mendoſius eſt. Confer, ſi lubet, *Fabr. Bibl. Graec.* L. II. c. 10. §. 17. p. 420.

XI. *fol.* 86. *Regule bene uiuendi de diuerſis patrum dictis extracte et hic collecte.* Hoc ex calce; primum enim folium rurſus deperiit. Nullum iſthaec Γνωμολογια ſervat ordinem, Patribusque etiam *Boethium* et *Senecam* miſcet. Quaedam Monachos tangunt inſerta rubrica: *In ſequentibus tangit parum de monachis.* Sententia poſtrema: *Aliquis uir bonus nobis eligendus eſt. atque ante oculos ponendus ſemper. ut ſic tanquam illo ſpectante uiuamus. et omnia tanquam illo uidente faciamus.*

Per decurſum *Codicis* variis locis inſerta ſunt folia Indicem in Opera *Gregorii* M. exhibentia. *Fol.* 91. p. 2. manu Sec. XV. adſcriptus eſt Elenchus eorum, quae tunc hoc *Codice* continebantur, unde varia deperiiſſe liquet. Denique adtexta ſunt manu diverſa, Sec. tamen XIV. conſcripta folia duo, in quorum ora ſupera legas: *Elegia Hericheeti* vel *Henricheeti*, initiumque tale:

Natus homo uel humus neſcio mentis inops.
Me domini ſocij noti quod majus amici
Pro ſcelus in medio deſeruere mari.

Facile vidi deſignari *Henricum Septimellenſem*, alias *Pauperem*, a *Florentinis* ſuis dictum *Arrighetto*, unde noſtrum *Henricheetus* vel *Henrichettus*, de quo, et ejus Elegia *Leyſerus Hiſt. Poet. med. aevi* p. 450. *Fabricius* cum Supplem. *Manſii* L. VIII. p. 227. et ego alibi. Fragmentum iſtud, quod definit:

Et dedignaris cum ratione loqui,

lectiones aliquas habet, quas *Leyſerianis* praeferas, eſtque Commentario illuſtratum. Ita ad v. *Nuper alamannus* &c. *Leyſ.* p. 467. legas: *Rex herricus filius frid. imperatoris pergens cum magno exercitu de alamannia in apuliam* (contra Tancredum) *perdidit apud ſalernum vxorem* (Conſtantiam) *et multos milites et pedites, et hoc quod reducitur ad ſimilitudinem ſcaccorum.* Italum fuiſſe Commentatorem inde arguo, quod τῷ *uexilla ſalutis* inſcripſit: *li banderj.*

CCCXCII.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 181. f. min. per duas columnas non una manu exaratus, rubricis enotatus, et, ut praefert U. 262